


MONU

VII







Disputationes quae hoc Volumine  
includuntur.

1. De Juribus Clericorum, Pr. J. H. Botticher, D. J. M.  
Schultze.
2. de Jure nocendi alius, Pr. H. Coccejus, D. J. W. Loxer
3. de bonis ereptitiis, Pr. N. C. Lynker, D. D. S.
4. de pactis conjugum specialibus, jure probatis et re,  
probatis, Pr. S. F. Guelenus, D. J. C. Mejer, Habberlinus.
5. Observaciones circa jura elemosynarum et alia  
rum collectarum Ecclesiarum, Templorum  
et vedularum, Penitenciarum etc. Pr. C. H.  
Hornius, D. C. Hanack.
6. de emptione venditione sub consensu non subsisten-  
te, Pr. H. de Boden, D. C. F. Hermannus.
7. de his, quae praepostere fiunt, Pr. H. Coccejus,  
D. J. P. Ehle.
8. De Mora, Pr. H. Coccejus, D. G. A. Weysfel.
9. De Concursu plurium Jurisdictionum, in eodem loco,  
Pr. H. Coccejus, D. C. G. Dürel.
10. De distinctione Bonorum, Pr. H. Coccejus, D. J.  
Voss.
11. De Momentaria possessione et libe vindictarum,  
Pr. A. Deetkeris à Thienen, D. H. Coccejus.
12. de Jure alluvionum in Imperio, Pr. H. Coccejus,  
D. C. G. Dürel.
13. de Jure accrescendi inter verbis conjugum,  
Pr. H. Coccejus, D. J. C. van Gelder.
14. De Contractu Medici cum aegroto, Pr. J. Schultz,  
D. M. D. Laurenti.
15. De Testamentis conjugum reciprocis, Pr. S. F. Willenberg,  
D. J. G. Schmechky.



16. Actiones injuriarum sacerdotum concernentes A. Al. von Injuren  
 Processen gegen Prediger, Pr. J. G. Simon, R. J. G.  
 Galckenreich.
17. de Jure precum publicarum, von öffentlichen Kirchen-Gebetern.  
 Pr. ~~W. Wilhelmus~~, R. J. H. Bömer, R. J. a  
 Sallern.
18. Capita quaedam juris Ecclesiastici controversi circa  
 praestationes Parochianorum, et Fotalium, R. C. H. Horn.  
 R. J. L. Nicolas.
19. Positiones Juridicae usum Theorico-Practicam distin-  
 ctionis rerum in mobiles et immobiles concernentes,  
 Pr. J. G. Hatlen, R. E. Drain.
20. de Praebenda equestri, D. Leit Kründe, Pr. J. G. Struv.  
 R. J. F. Hanses.
21. de vario juris usu et abusu in Curis et Can-cellarijs,  
 vom Gebrauch und Misbrauch der Lecken in Sants-  
 leyen und Rathhäusern, H. M. Holtermann's.
22. de Appellatione per saltum, R. C. Wildvogel.
23. de Jure incerto ex dubia legum quibus utimur,  
 aus Unklarheit vriunde, Pr. M. H. Gribnerus, R. A.  
 Mack.
24. de Levis sub lege comisoria Gallicis, Pr. J. Weber.  
 R. J. Thom.
25. Specimen parocemiarum Historicarum, Pr. J. Weber.  
 R. E. C. Fraoldi.
26. de Fictionibus tam hominis quam juris, Pr. P. Müller.  
 R. W. H. Mars-Mann.
27. de his, quae circa praescriptionem novatoriam fal-  
 so traduntur, Pr. J. H. Perver, R. C. G. Pohle.
28. de Oppignorationibus rerum imperij, Pr. J. Strauchius,  
 R. L. A. Hambrover.
29. Jus ac Regimen Charitatis Christianae in causis ac  
 negotijs civilibus, H. Fritschius.
30. de Veneficio sive homicidio per venenum attentato  
 in casu ubi mors non ipsa secuta poena capitur,  
 Pr. H. Wagner, R. C. G. Gostmann.  
 + vide folium post Voluma





819

*Disputatio Juridica,*

DE

**CONCURSU PLU-  
RIUM JURISDICTIO-  
NUM IN EODEM LOCO,**

Quam

Auspice Divino Numine,

PRÆSIDE

**HENRICO COCCEJO,**

Jcto & Antecessore,

Publico eruditorum examini committet

**CAROLUS GODEFRIDUS DÜVEL,**

Westphalo Fryfoytensis.

---

HEIDELBERGÆ.







1.

**N**ulla propemodum ratione hodierna rei Germanicæ facies à pristina rei Romanæ longius recedit, quam varietate Jurisdictionum ac potestatum: quæ & causa est, cur adeo parce illud caput jure civili expositum, & hodie tales materiæ magnam partem ex jure gentium decidendæ sint. Quemadmodum igitur alibi *de concurrente plurium locorum potestate* egimus, ita è contrario nunc *de concurrentibus ejusdem loci potestatibus* pauca exhibebimus.

2. Concurrere hic dicimus plures potestates, quæ, aut quatenus invicem non sunt subordinatæ, sed species jurisdictionum diversæ ac sibi oppositæ, & intra eosdem territorii vel oppidi fines pariter exercentur: uti novū non est, ut alteri *die Gelaidliche*/alteri *die Förstliche*/alii *die Centbarliche*/alii *die Vogtheiliche*/alii *die Landsherrliche Obrigkeit*/ ita competat, ut quisque jus suum per universam ditionem in solidum exercere possit, atque ita totum territorium *περὶ ἐξέτασιν καὶ πρὸς ἀντιτάξιν*, *Fünff herrisch* efficiatur.

3. Sed & ipsæ subordinatæ potestates in quibusdam speciebus sibi invicem oppositæ sunt, atque concurrunt. Ita suprema territorii curia in iis, quæ ad eam immediate spectant, primam per universum territorium instantiam (ut loquuntur) habet, atque hætenus, cum omnibus primis instantiis intra ejus territorii fines concurrat, eique hoc sensu inferiora judicia non subordinata sed opposita, & pariter primæ instantiæ sunt.

4. Distinguuntur autem plures hujusmodi jurisdictiones in eodem loco consistentes, inter se vel personis in quas competunt, ut v.g. *Academica* & *oppidana*: vel causis, ut *civilis* & *criminalis*. Ille, modo plenæ sint, exercentur in omnibus causis, sed non in omnes personas, verum prior in Universitatis, altera in oppidi cives. Hæc vice versa in omnes personas, at non in omnibus causis, verum altera in negotiis civilibus, altera in criminibus; & sic de aliis.

5. Pri-





5. Prioris generis jurisdictionum, quæ scil. in certum genus personarum exercentur, est quoque jurisdictione ecclesiastica; item militaris, & alicubi curia mercatorum, Curia Admiralticæ, quæ in rebus nauticis & maritimis judicat; de qua Vincent. de Franch. *Decis. Neap. 417. & Decis. 722.* Item, quæ competit ratione certi v. g. officii, uti Electorali Palatinatui extra territorium quoque suum jurisdictione quædam prolixo ambitu competit in Ahenarios, de quo *in Ord. Elect. tit. ult.* Ac similis alibi jurisdictione est in Lanarios, in quos Neapoli Curia artis lanæ civilem & criminalem jurisdictionem habet. Vinc. de Franch. *d. Tract. Decis. 679.* Et alia in opifices serici. Ric. *in add. ad. d. dec.* quæ proinde jurisdictiones omnes cum aliis locorum iudicibus concurrunt.

6. In omni hoc jurisdictionum concursu cum primis fundamenti loco supponimus id, quod jure gentium ac communi indubium, omnium Dd. suffragio traditum, & pridem à nobis demonstratum est; Jurisdictiones scil. regalesque potestates ipsi territorio inherere, atque in omnibus ejus partibus fundari, ita ut quicquid intra ejus territorii terminos continetur, cuique jurisdictioni pro modo potestatis suæ subiectum sit. Etsi aliud sit in belli Ducibus, quorum in milites jurisdictione magis in personas est, & cum exercitu ambulat, quod ipsum quoque tralatitium est.

7. Finge jam in oppido concurrere ipsum oppidi magistratum, Academiam & curiam Principis; Jus est magistratui oppidano civem suum ex ædibus quoque Academicis, & licet cum cive Academico ibi habitet, citare, jurisdictionemque in eum exercere. Quod idem vicissim jus est Senatui Academico in suos, qui cum cive oppidano habitant; eademque ratione, si habitent cum Officiali Curie aut in ejus ædibus; nam quæque in oppido concurrens jurisdictione fundata est in quocumque ejus oppidi loco ac parte, §. *prac.* sed in suum tantum civem §. 4. & 3. ita ut exerceri in eum, ubicunque in oppido sit, possit.

8. Hinc idem jus est Senatui v. g. Academico in res civium suorum in oppido sitas, in quacunque oppidi parte illæ sitæ sint: *per §. 6.* cum enim oppidum sit locus rei sitæ, in oppido autem duplex forum concurrat, quod in omnibus oppidi partibus fundatum



datum, d. §. 6. & personis saltem distinguitur, per §. 4. cuiq; magistratui jurisdictio ex loco rei sitæ competit in res suorum civium. Atque adeo, cum hypothecæ & alienationes rerum immobiliū judicialiter confirmandæ sint, idque in loco rei sitæ, arg. l. 16. C. d. præd. min. consequens est, domo, quæ in oppido posita est, à cive Universitatis vendita, ejus confirmationem à Senatu Academico peti debere; quia, licet in oppido, non tamen in foro oppidano, sed Universitatis sita est, quæ forū quoque rei sitæ in oppido habet, quippe quod per totum oppidum in personis ac rebus Universitatis fundatum est per jam dicta. Et pariter, si à cive oppidano vendita sit, corā oppidano magistratu, si ad Officiali Curia, corā Curia confirmatio petenda est.

9. Quid ergo, si venditor & emtor diversi fori sint, hujus, an illius forū in confirmandis alienationibus rerū immobilium inspiciendum est; R. Haud ambiguum videri, forū venditoris spectandum; quia tamdiu res venditoris est, donec legitime ab eo in aliū translata fuerit, quod in rebus soli non fit, nisi facta judiciali insinuatione: Ante enim nec venditio perfecta est, nec dominium à venditore abiit, adeoque nec jurisdictio à venditoris magistratu, quippe quæ tantum propter personam venditoris, cujus res est, hoc casu competit per §. 8.

10. Sic & reliqua jura fori, ratione rei in oppido sitæ, eodem modo obtinent. Nā si quæritur de momentaria possessione, quæ non nisi in foro rei sitæ postulari potest: l. un. C. ubi de mom. poss. ag. aut, si decretum de prædiis minorum alienandis petitur, quod itidem in loco rei sitæ fit, d. l. 16. C. d. præd. min. utroque casu forum competens ratione rei sitæ erit penes eum loci magistratum, cui possessor aut minor subjectus fuerit, si ve sit Curia, si ve Universitas, si ve magistratus oppidi.

11. Pari ratione quælibet jurisdictio eodem loco concurrentes fundata quoque est ratione contractus & delicti: adeo ut si quis in tali oppido contraxerit vel deliquerit, is ex hoc contractu seu delicto forum sortiatur in Curia, si ejus officialis; coram Universitate, si ejus membrum; coram iudice oppidano, si civis aut incola aut advena fuerit. Unde sequitur, etsi quis ex loco studii discesserit, ac studiosus esse desierit, adhuc tamen ibi tanquā in loco contractus & delicti conveniri possit 12.



12. Hoc jus cum satis perspicuum, ejusque ratio evidens sit, mirum videtur, Dd. adeo desudare ac dissentire in quaestione, An si officialis Principis in loco inferioris judicis delinquit, causa ad hunc judicem, an vero ad Principem ejusve Curiam pertineat? Ex praedictis enim constat, Curiae id iudicium esse, quia officialis immediate ejus jurisdictioni obnoxius est, quae proinde jurisdictio in hunc suum officialē fundata est, in quolibet parte & loco territorii, ita ut, quocumque loco deliquerit officialis, in loco hujus jurisdictionis immediate deliquisse videatur. Etsi enim oppidum sit locus delicti, non tamen in oppido illo una tantū ac sola est jurisdictio magistratus oppidani, sed concurrat jurisdictio Curiae in iis, quae immediate ad eā spectant, adeoque hujus quoque respectu haecenus locus delicti est *per §. 6. & 8. Conf. §. 16. inf.*

13. Adversariam sententiam tueri volebat civitas apud Heigium, *part. 2. quest. 25.* quae, cum officialem delinquentem ad suum forū traheret, & Curia inhibuisset, nullo jure à Curia id fieri contendebat, causata jurisdictionem titulo oneroso, adeoque private sibi concessam fuisse, &c. Quae vero quam nullius momenti sint, ex traditis colligi potest, ipsaque civitas adversum se responsum tulit. *Heig. d. qv. 25. n. 13.*

14. Alii distinguunt, utrum Officialis deliquerit in officio, an extra officium, & priore tantum casu remittendum ad Curiam statuunt; *per l. 9. ff. de Cust. & exh. re. l. 2. C. de off. praef. urb. Joh. Fab. in d. l. 2.* ubi ita in Curia Franciae servari ait. Idemque probat Nic. Boerius Biturigum Professor, & postea summae Curiae Burdegalensis Praeses. *Decis. 9. in fin.* ubi ex gemino Curiae arresto decisum ita refert, aliosque hujus sententiae patronos adducit; quos & sequitur Mastrill. *in Decis. Sicil. 300. num. 25.* Verū distinctio ista ex textibus citatis non probatur, quin manifeste potius inde refellitur: Cavetur enim ibi absque ullo discrimine, ut remittatur delinquens ad eum, sub cujus immediata potestate est: quod & rationi juris, ut diximus, convenit.

15. Bartolus in *l. in officiales 4. C. de off. Rect. prov.* statuit, puniri quidem officialem posse à iudice loci, sed denunciandū id esse ei, cujus est officialis. *per d. l. 4. & l. 5. C. de Exec. & exact.*



quem sequitur Guid. Pap. in *Decis. Gratianop.* 328. ubi id ita factum fuisse in territorio Varcia. Verum hoc quoque gratis & præter omnem juris rationem dicitur: Vel enim iudex loci suo jure & vi jurisdictionis suæ punire reum potest, & non opus est ulla denuntiatione; vel id non potest, & non sufficit denuntiatio, quæ sola competentem iudicem non facit, qui non est. Nec movet *d. l. 4.* quæ non agit de jurisdictionibus plurium, quæ in eodem loco concurrunt; non enim Præfecti regulariter concurrunt cum Præsidi in eadem provincia. Sed & manifeste ibi Præsidi potestas illa, & quidem in certis tantum delictis à Principe concessa fuit; indeque apparet, antea eam potestatem ipsi non competiisse. Nec denique per jus vindicandi ibi jus puniendi, sed vindictam apud Præfectum urgendi intelligitur, de quo, & de sensu *d. l. 5.* vid. §. 22.

16. Verissimum itaque est, quod diximus §. 12. officialem illum non nisi in Curia conveniri posse; idemque juris est in omnibus Officialibus Præfecturarum *der Nempter*, in quas territorium proxime divisum est. Quod insuper aperte docent textus *in l. 2. C. de off. mag. mil. d. l. 2. C. de off. Præf. urb. d. l. 9. de custod. re. d. l. 5. C. de Exec. & exact.* Atque ita responsum fuisse in prædicto casu testatur Heig. *d. l. n. 13.* Idemque probat eximius Jctus Petr. Peck. *de Jure sist. c. 22. n. 3.* & plures in id allegat; quin ita quoque eam sententiam, quæ §. 15. recensita est, intelligi posse putat, quod tamen ex sententiæ ejus auctoribus non apparet.

17. Alia quoque quæstio valde anceps hinc decidenda est: An scilicet superior magistratus illos, qui in loco iudicis subordinati sunt, eo non requisito, citare, decretaque & mandata sua iis insinuare possit? Equidem, si citandi immediate superiori subjecti, aut alias coram ipso prima instantia sit, omnino potest: quia ejus jurisdictio, quo ad causas immediate ad se pertinentes, non minus ac iudicis inferioris, in loco illo fundata est, eaque proinde hoc casu immediate & suo jure ibi exercere potest. *per §. 3. & 6.* neque hætenus res dubia videtur.

18. At, si citandi mediate saltem ad superioris iudicis forum pertinent, non possunt, nisi interpellato iudice medio,  
cita-



citari: cessat enim hic fundamentum jurisdictionis immediate hactenus positum; & imperium superior hoc casu immediate saltem in judicem subordinatum; in hujus autem subditos non nisi mediate habet, adeoque nec nisi mediate id exercere in eos potest: Etenim terminos juris ac imperii sui excedit, qui aliter, atque id ipsi competit, eo utitur, atque adeo extra terminos illos injuria agit & pro privato habetur. Neque vero, cum hi jurisdictionum gradus ac ordines lege publica constituti sint, judex, qui saltem administrator est, eos invertere, legemque hanc mutare, nedum, quod leges imprimis cavent, *l. 23. C. de Testam.* Jurisdictionum officia confundere potest. Atque id discrete sancitur in *l. 1. C. de exec. & exact. fac. l. ult. in fin. C. eod. l. ult. in fin. C. de Appar. præf. prat.* Idemque sequuntur *Gloss. in c. 1. in princ. vers. Tu & ego de for. comp. in 6. Nic. Boër. Decis. 8. in fin. Petr. Peckius d. tract. c. 21. num. 6. & seqq. aliique.* Dissentientibus accedunt *Rauchb. p. 1. quest. 13. num. 11. & D. Brunnem. Proc. for. civ. c. 3. num. 15. per l. 26. §. fin. Ex quib. caus. maj. l. 2. §. 3. l. 24. ff. de judic. l. 33. §. 3. C. de Episc. & Cler. & c.* Ex quibus tamen nihil hujus probatur.

19. Excipio vero ipsam partem appellantem ejusque adversariam, atque eos immediate à judice appellationis citari posse haud ambigo: cum medii judicis jurisdictione per appellationem suspensa, atque adeo illi, interposita appellatione, immediatæ Curia quoad hanc causam subjecti sint, & hactenus omnes inferioris jurisdictionis effectus interim si- leant. Secus vero est, si de testibus v. gr. citandis agitur &c.

20. Ipsum etiam utique Principem, seu Regem immediate omnia agere Regiosque, ut ajunt, servientes ubique non compellato judice loci, exequi posse certum est; cum Princeps ipse sit, qui jurisdictionum ordines constituit, eisque leges dat. *2. F. 56.* Atque hactenus verissima est assertio *Rauchb. & D. Brunnem. dd. loc. & ita cum alias, tum se præfidente decisum ait Nic. Boër. d. Decis. 8.*

21. Superest ergo quæstio de ea Curia Principis, quæ tantum jurisdictionem habet; an illa quoque non compellato judice loci v. g. testes mediatos citare &c. possit? Pro negativa facit,



facit, quod regula & ratio §. 18. generalis sit, neque appareat hic exceptio. Sed & textus in d. §. 18. adducti, sunt generales, & in d. l. ult. C. de Exec. & exact. in specie agitur de præfecto prætorio, quod summa Imperii Curia fuit, in provinciis tamen mediante Præside mandata insinuavit. Quin & Cameræ subditos suos immediate citanti contradicendum fuisse à Statibus quibusdam refert Gail. 1. Obs. 198. in fin. Pro affirmativa vero; Quod Curia vice Principis judicet, ejusque nomine & sigillo utatur &c. Nobis tamen satius videtur inspicere tenorem Ordinationum & morem cujusque Curia. Cæterum, uti Apparitorum officia in certos locorum terminos descripta, ac territoriiis, uti alicubi in Gallia Balliagiis & Seneschalliis, distincta sunt, ibi eos immediate exequi posse ac solere ait P. Peck. d. c. 21. num. 2.

22. Etsi autem magistratus cum iudice loqui concurrens jus integrum in suos habeat, nec hic immiscere se illius causis possit, ut ostendimus; ob utilitatem tamē publicam receptum est, ut liceat iudici loci delinquentes saltem apprehendere, prehensoque suo magistratui mittere. per l. 5. C. de exec. & exact. l. 1. C. de exhib. reis. Ant. Fab. C. d. tit. def. 2. Joh. Fab. in l. 4. C. de off. Rect. prov. Heig. d. quest. 25. n. 19. ubi plures citat. Atque idem in d. l. 4. intelligi existimo, cum Præsides vindicare crimen, & præfectum certiores de culpa facere posse dicitur, eo nimirum effectu, ut præfectus de culpa cognoscat & judicet; sicut id diserte explicatur in d. l. 5. Id ergo saltem in d. l. 4. conceditur Præsidi, ut, licet poena hujus delinquentis nihil ad ejus curam spectet, ipse tamen prehenso reo, culpaque Præfecto exposita, urgere vindictam apud eum possit. Sed & ipsis provincialibus conceditur contra injustos executores legitima defensio in d. l. 5. in fin.

23. Ex dictis tollitur scrupulus, qui tantopere Interpp. torfit in quæstione, an quis subditum suum in alieno territorio agentem citare per nuncium vel missis literis possit? Quod affirmare ausus est olim Cynus, & post eum Dd. comm. Bart. in const. Ad reprimendum. §. Per edictum n. 9. Bald. in l. omnes 33. §. 5. vers. Verum si apparitor. n. 1. 2. 3. C. de Episc. & Cler. Castrenf. in l. ult.



ult. n. 4. ff. de Jurisd. Gail. 1. Obs. 56. in fin. Rauchb. d. quest. 13. n. 16. 17. per textt. in d. l. 33. §. 5. l. 2. C. de Off. Praef. Urb. c. 1. §. contrahentes. de For. comp. in 6. & quod subditus ubique maneat subditus, quæ est ratio Gail. d. l. Verum hærent omnes in responsione ad Clem. Pastoralis 2. vers. Ut illud de sent. & rejud. quæ directo contrariatur. Cynus dicit, responsum in pace dari non posse, sed transmittendum id esse cum aliis Canonistarum erroribus. Bartolus ita variat, ut in l. 1. §. 1. n. 3. ff. de Requir. reis. in contrarium propendeat, nisi Princeps aliter constituerit. Quod nec Castrensi d. l. displicet: Baldus subtiliter dividit actum ipsum citationis d. l. Alii distinguunt, an subditus sit ex domicilio an dantum ex contractu vel delicto. Alii inter nescio quam citationis executionem & commisionem. Alii, quod valeat, ad efficiendum jus causæ, non personæ, &c. Quorum nihil solvit nodum d. clem. 2. vers. ut illud. in quo versu simpliciter omnis citatio improbat ac pro nulla habetur, quæ extenditur extra fines territorii.

24. Nos igitur intrepide contrarium statuimus, & subditum nullatenus ex alieno territorio per nuncium quoque vel literas citari posse asserimus per d. Clem. 2. vers. ut illud & Nov. 69. c. 2. & 3. Est enim citatio ista actus jurisdictionis & iudicii, imo initium processus judicialis, per §. ult. Inst. de Pæn. rem. lit. quem iudex in alieno territorio exercere aut exequi nequit, per vulg. cum nullam concurrentem cum iudice loci jurisdictionem, adeoque nihil ibi juris ac potestatis habeat. Neque sufficit potestas in personam ad hoc, ut citari illa possit, sed & requiritur potestas in loco; quia jurisdictio loco inhæret, ejusque finibus conclusa est. §. 5. sup. adeoque extra loci fines ne in subditos quidem competit. Citari itaque subditus potest, sed intra fines territorii; cum enim citatio afficiat tum personam, quæ citatur, tum locum in quo citatur, utrumque debet esse in potestate citantis, ut citatio jure valeat. Et, si ad exercitium jurisdictionis sufficeret subditum esse, utique hic subditus in alieno territorio non modo verbis, sed & re citari ac prehendi posset, quod tamen omnes negant: Imo eadem ratione quoque iudex in alieno territorio quamlibet etiam capitalem sententiam in civem suum exequi posset: quoniam citatio ejusque executio non minus est

B

actus



actus jurisdictionis, quam executio ipsius sententiæ, nec ha-  
stenus differunt.

25. Inconsiderata igitur ac erronea plane est ratio Gailii, quod subditus ubique subditus sit. Nec Baldi, citationem dividendi, ratio valet, cum tota citatio actus atque effectus jurisdictionis sit. Denique nec textus oppositi adversantur: nam *d. l. 33. §. 5.* agit de Sacerdotibus, qui in provincia degunt, sed Romæ reperti, ibi conveniuntur, ut patet *ex d. l. 33. §. 1. & 3.* ubi Impp. Christiani exemerunt hos Sacerdotes a Jurisdictione inferiorum judicum, & voluerunt, ut immediate coram Præfecto Prætorio convenirentur: in hoc deinde judicio quid sportularum nomine ab iis solvendum sit, definitur in *d. §. 5.* Nihil ergo ibi de citandis sacerdotibus ex provincia; quin talis citatio paulo ante in *§. 2.* expresse interdicitur. Porro *d. l. 2. C. de Off. Præf. urb.* quoque aperte potius infringit adversantium sententiam & pluribus rescriptis prohibitum esse ait, aliquem ex provincia evocari. Quod vero singulariter Impp. excipiunt Præfectorum officiales & populares factionarios, id regulam magis firmat in casibus non exceptis. Denique in *d. c. 1. §. contrahentes. de For. comp. in 6.* dicitur saltem, quod non possit decerni missio in bona, nisi reus ante citatus fuerit, & comparere noluerit; quod certissimum est, quia executio fieri non potest, reo nec citato nec audito. At nihil ibi de modo citandi traditur, nedum quod Archiepiscopus ergo per nuncium ex alieno territorio evocare possit. Intelligitur ergo ibi citatio juxta formam juris communis, v.g. *juxta N. 69. c. 2. & 3. de qua in §. seq.*

26. Quis vero sit modus legitimus citandi absentes, variant quam maxime Interpp. & hic quoque Cæsarea decisione opus esse autumant. vid. Gail. 1. *Obs. 56.* ubi tres modos citandi refert; per nuncium, literas subsidiales, aut edictum. Primam viam periculosam, & nuncios plerumque male tractari, dicit. Sc. quia illa negatur esse legitima, unde & nos eam rejecimus *§. 23. & seqq.* Vera autem ratio citandi absentem ex loco, in quo nullam habemus concurrentem jurisdictionem, satis luculenter apparet *ex d. N. 69. c. 2.* & hæc est; ut imprimis citatio insinuetur ad domum, seu alicui ex familia absentis; si familiam  
non



non habeat, sed bona tantum, horum curatori, vel conductori, vel culibet denique, qui ejus nomine adest. *d. c. 2. princ. & præsens iste privatim nunciare citationem absenti, v.g. domino suo debet; d. c. 2. §. 1.* adeoque non nuncius judicii; quia sic actus jurisdictionis fieret, cum nuncius publica persona sit, & publica autoritate faciat; quicquid contradicat *Gail de Obs. 56. n. 3. 4.* Quid si ergo nec bona adeoque nec curatorem ibi habeat? *R.* In eum Jurisdictio regulariter fundata non est, quia nec familiam nec bona habet in loco, nec ipse præsens est. *per d. c. 1. §. contrahentes. de for. comp. in b. idque supponitur in d. N. 69.* Quod si tamen accidat, ut citandus sit absens, et si nemo ejus nomine adiri præsens possit, adhuc ei prospectum ac modus præscriptus est, *in d. N. 69. c. 3.* scil. ut vocetur absens **VOCE LEGITIMA**, quæ tum fuit vox Præconis, qui publice absentem vocabat; hodie vero est edictum publice affixum: indeque proceditur in contumaciam. *d. c. 3.* Poterit tamen, ut ejo notitia eo certius ad absentem perveniat, ipsi à parte adversa, quæ impetravit citationem, uti priori casu per curatorem, nunciari. Integrum tamen judici quoque est per literas subsidiales, si velit, citare. *d. Clem. 2. vers. Nos quoque.*

27. Hactenus de Jurisdictionibus eodem loco concurrentibus, quæ personis, in quas competunt, distinguuntur. Sequitur de iis, quæ causis distinctæ sunt, vid. §. 4. *sup.* & ex eodem capite definiuntur: uti Centena & Vogtheia, ac varia jura regalia seu territorii, aliæquæ jurisdictiones, quæ variis Dominis aut corporibus competunt, atque omnes itidem territorio inhæret, & in qualibet ejus parte fundaræ sunt. *sup. §. 6.*

28. In his omnibus obtinet regula, quod, cui competit aliqua jurisdictio aut regalis potestas, ei omnia illa cõcesla videantur, sine quibus expediri illa potestas non potest *l. 2. ff. de jurisd.* Unde Centenæ judex omnibus subditis mandata dare, operas ac onera ipsis imponere, edicta in locis Cētenæ affigere, actuarium judicii constituere, & id genus alia facere potest, quatenus hæc pertinent ad causas criminales. Idemque in eosdem subditos faciendi jus est Vogtheiæ, quatenus ea ad causas civiles spectant. Ita & qualibet regalis potestas leges dare,



eaque omnia facere potest, quæ ad exercitium juris sui regalis pertinent; nisi aliter pactis aut moribus inductum fuerit.

29. Quæri autem hic posset, si quis jus aliquod regale, v. gr. conductus, per territorium vicini habeat, an id instar servitutis ipsi competat, & vicinus quasi ipsi seruiat? Dicimus, id jus non servitutis quodam titulo, sed proprio territorii jure possideri: tenet etenim Princeps v. gr. jus regale conducendi (1.) non à vicino, ut servitutes, sed ab Imperatore; (2.) in feudum imperii, non in privatam servitutem. (3.) Ut jus territoriale immediatū, non ergo mediate ab alio territorii domino; (4.) pari eodemque investituræ jure, quo vicinus reliqua territorii jura; non ergo alter ab altero jure servitutis. (5.) Tanquam à superiore, non, ut servitutes, tanquam ab æquali. Neque (6.) vicinus, qui ipse jus conducendi vi territorii sui non habet, nec eo investitus est, id alteri jure quodam servitutis cōcedere potest. Sed (7.) ipsa jura territorii illius non soli vicino in solidum cōcessa, verum inter utrumque divisa sunt, ut alterius cōducendi, aut alia quædam, alter autem reliqua territorii jura habeat, atque ita utriusque jura in eodem territorio concurrant.

30. Participat itaque possessor v. gr. juris conducendi, etsi unum saltē jus regale habeat, hætenus de ipso territorio, adeoque pro eo non confessoria, sed rei vindicatione agit, & ex arbitrio de eo disponere legemque dicere potest; nec confiscatis vicini bonis, aut non utendo illud amittit, quin, quo casu amittitur, non ad vicinum, sed ad feudi dominum redit; cæterique effectus servitutum cessant.

31. Secus est, si non jus aliquod regale, sed v. gr. nudum ius venandi tantum vicino in nostro territorio competat: Id enim & privati esse potest & in solo fructu venationis cōsistit; *l. 9. §. 5. l. 62. princ. ff. de usufr. l. 26. ff. de usur.* Nec possessor regali aliqua potestate cum Domino territorii cōcurrit, adeoque nec legem in isto territorio dicere, aut causam cognoscere potest, sed jure privati utitur, omnisque juris licitio forestalis ac sylvatica in solidum domini territorii est. Jus vero conducendi & similia, sua natura sunt è regalibus, nec alio nisi territorii jure competere possunt.



32. Sic nec jurisdictio simplex, v. gr. Centena, quæ in alterius territorio exercetur, instar servitutis obtinet, sed vel instar officii & jurisdictionis subordinatæ; est enim inferius judiciū. Si vero ea sit ipsa alta jurisdictio, die hohe Malefizische Obrigkeit/ instar juris regalis concurret cū Domino territorii. per §. 29. sup.

33. Cum igitur hæ jurisdictiones, etsi in eodem loco concurrant, tamen inter se penitus diversæ atque ab invicem distinctæ sint, hinc manifeste sequitur, quod onera unius subditis injuncta subditos alterius nō adstringant, nisi ex lege vel moribus sint communia, quod in concursu jurisdictionis civilis & ecclesiasticæ exponit. Nic. Balbus *Præses Curia Pedem in resp. quod Cacher. Decis. 68. subjecit.* Eademque ratione nec statuta unius jurisdictionis, subditos alterius concurrentis obligāt; ut in concursu Academicæ & oppidanæ tradit, additisque cum Nostræ tum Jenensis facultatis responsis, cōfirmat Ampliff. D. Struv. *Exerc. 38. thes. 44.*

34. Etsi autē omnes hæ jurisdictiones loco in sint, eo tamen differunt, quod jurisdictio certi oppidi vel pagi propria sit ejus loci, eumque sequatur. Jurisdictio vero territorialis toto territorio, adeoque illi oppido & pago nō nisi quia pars sunt ejus territorii, adhæret. Nec jus territorii oppido seu pago active sed passive inest, atque non à Senatu oppidi seu pagi, sed in illum, perinde ut in alias partes ac subditos territorii, exercetur.

35. Hinc evidentissime sequitur. (1.) Quoties in instrumento dicitur oppidum vel pagus cum suis juribus & jurisdictionibus, non intelligi ullam partem juris territorialis, quod nō est jus pagi sed territorii, nec pagus participat de potestate territoriali, nisi passive, quatenus ei subjectus est: eademq; est ratio oppidi, castri &c.

46. Sequitur (2.) Quod alienato oppido seu pago cum omni sua jurisdictione & jure, sola jurisdictio loco propria, nō vero ullum jus territoriale alienatum videatur per §. 34. & 35. sup. nisi expresse id comprehensum fuerit, cum & alias vulgatū sit, jura territorii non venire generali concessione. Quin  
nec



nec alia concurrentis jurisdictio, v. g. Academica cum suis juribus, ea alienatione continetur, nisi tota à jure civitatis dependeat. *per §. 33. sup.*

37. Quos vero limites seu terminos quæque jurisdictio-  
num ita concurrentiam habeat, id vel ex lege concessionis, vel  
ex consuetudine, vel ex ipsa natura jurisdictio-  
nis cognoscitur. Cæterum inter has jurisdictiones una plerumque est, quæ cæ-  
teteris generalior & quasi magis loco propria est, uti in oppido  
jurisdictio oppidana; cum reliquæ sint specialiores, & quasdã  
saltẽ causas seu personas à communiore illa eximant; uti Curia  
Principis immediatos, Academia suos cives, Curia mercatorũ  
mercatores &c. Qui ergo neque Curia Principis immediate,  
neque Universitati, neque alii Curia speciali adscripti sunt, ne-  
cessario oppidano magistratui relictĩ videntur; sub hoc enim  
ceu generali loci magistratu, est, quicquid inde vel personarũ  
vel causarum specialiter exemptum non est.

38. Sic & in territorio, si unus habeat jus regale conducen-  
di; alter jurisdictio-  
nem, ut ajunt, *altam, die hohe Malefiz oder  
Blut-Bann*; tertius superioritatem territorialem; hæc ultima  
generalior & magis propria territorio est, proindeque sub  
ea continetur, quicquid ad reliquas specialiores non pertinet,  
adeoq; per illas aut alio jure exceptum inde non est. §. 37.

39. Est quidem & alius concursus, non plurium jurisdi-  
ctionum, sed plurium personarũ in una jurisdictio-  
ne; si nim.  
hæc communis sit pluribus; quæ vero huc non pertinet. *vid.  
Gail. de Pign. c. 20. Besold. in thesaur. lit. Z. n. 24*

### COROLLARIA.

I. Princeps regnum seu territorium bello acquisitum non  
eo jure quo victus, sed quo ipse victor suum principatum cujus  
nomine bellum gerit, tenet. Non ergo per hoc, quod bello  
cepit, successivum facit principatum, nisi ipse jure successivo  
suũ quoq; rite possideat. Secus si acquisiverit ex causa privata.

II. Filius à regno exheredari non potest, renunciare suc-  
cessioni potest. Hæc renunciatio descendentes suis nõ præ-  
judicat. Quos inter descendentes, Is, qui ante adeptum regnũ  
na-



natus est, præfertur postea genito; Uti & Nepos Primogeniti præfertur Patruo. Lite tamen orta, non nisi conventionem aut bello decidi res poterit.

III. Transitus per alterius territorium jure naturali cuique competit. quatenus vero alteri noxius est, impediri potest. Impeditus tamen, si de damno infecto caveat, vi quærere eum potest. In literis comœatus, quibus itus duntaxat expresse conceditur, regulariter non continetur reditus. Nisi reditus sit pars itineris necessaria, uti cum securitas comœandi in hostium castra datur.

IV. Legatus delinquens ab eo, ad quem est missus, puniri potest. Si autem ex eo loco discesserit, & in territorio tertii fuerit, priori Principi deditioem ejus petenti remittere tertius necesse non habet, nec nisi causa cognita potest.

V. Mandata Legatorum strictæ sunt interpretationis, ideoque quod duobus Princeps commisit, eorum privata conventionem uni relinqui non debet, nisi permisum fuerit a Principe, in aliquam causam v. g. si alter nolit, qui includit quoque casum, si non possit, seu impotentia, ut vocant. Cæteroquin negotium juxta mandatum publicum gestum tenet, licet legatus arcani mandati fines excesserit.

VI. Princeps contra alium Principem ob delicta ejus jus belli non habet, nec jus talionis in Legatum ejus, qui in vitam vel corpus sui legati sævit, nec infantes Matronasque eorum, qui suos turpiter tractant.

VII. In offensivo bello alterutrum, vel clarigatio vel belli denunciatio, sufficit; in defensivo neutrum requiritur.

VIII. Occupata urbe, publica omnia, non privata jura, occupata censentur, ac proinde nomen Civitati debitum victoris est, privato civi debitum ejus manet. Nec licet ex justitia naturali, facta occupatione loci, privatorum quoque nihil amplius res occupare. Sic ubi vero usu bellorum aliud obtinet, vestigium id est veteris juris gentium, quo victi & capti fiebant servi Victoris. Neque etiam necesse est prædam perperesso damno luculentiorum restituere.

IX. Post-



IX. Postliminium & belli & pacis tempore obtinet; induciarum autem intervallo cesat. Si tamen Civitas durante bello, ejecto hostili præsidio, in libertatem sese recipat, postliminio quidem ad Principem redibit proprium. Secus si id fiat post factam jam tum pacem.

X. Inita pax non violatur tota, si contra unum ejus caput committatur, atque ideo, etsi causa violati juris armis iterum vètiletur, reliqua pacis capita salva manēt, & si quid inde forte novi hujus belli incēdio corripatur, id ex nova causa fit, nō vero eo jus prioris pacis tollitur. Sicut nec concedimus frangende inducias parte altera, alterā eas quoque frangere posse. Neque damus finitis induciis cessare comēatum tempore induciarum concessum. Nec eum, qui comēatum habet & antequam itinere se credat, in arce sua capitur, defendet comēatus itinerandi causa concessus.

XI. Juramentum jure naturæ valet obligatque ( nisi à parte cui juratum est, remittatur) etiam si vi extortum sit. Etsi canonici juris regula est, omne juramētum, quod servari sine dispendio salutis æternæ potest, servandum esse, non tamen conventio, qua jus reluendi añuos redditus venditori adimitur, emtorique jus repetendi sortem datur, licet jurato eo jure cum effectu valet; nec debentur efficaciter usuræ usurarū sub juramento promissæ. Nec deniq; obstat Patri renunciatio S<sup>c</sup>i Maced. à filio facta etiam jurata, secus in Vellejano.

XII. Feudum mixtum hæreditarium, quale putāt esse *erb. Mann-Lehn* de jure nō datur. A feudo exheredari descēdentes nisi à primo acquirant nequeunt. Descendentes nō succedunt in feudo hereditario, nisi & succeserint in alodio, Agnatis autem alia est licentia.









DISPUTATION

THE





819

*Disputatio Juridica,*  
DE  
**CONCURSU PLU-  
RIUM JURISDICTION-  
NUM IN EODEM LOCO,**

Quam

Auspice Divino Numine,

PRÆSIDE

**HENRICO COCCEJO,**

Jcto & Antecesore,

Publico eruditorum examini committet

**CAROLUS GODEFRIDUS DÜVEL,**

Westphalo Frysoytensis.

---

HEIDELBERGÆ.

